



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De miseria animæ, quæ Dominum nostrum Iesum Christum non amat, nec
quærit, 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

tuo, nisi teipsum dederis. Da ergo teipsum mihi: Deus meus redde te mihi. En amo te, & si parum est, amem validius. Tui ergo amore teneor, tui desiderio flagro, tui dulci memoria delector.

2. Ecce, dum tibi mens mea suspirat, & tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minus gravat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis & miseriarum more solito non hebetat; silent cuncta, tranquilla sunt omnia. Cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, & totus spiritus, ex desiderio visionis tuæ accensus, invisibilem amore rapi se videt. Assumat spiritus meus pennas ut Aquilæ; volet, & non deficiat: volet, & perveniat usque ad decorem domus tuæ, & thronum gloriæ tuæ; & ibi super mensam refectiois civium supernorum pascatur de occultis tuis, in loco pascuæ juxta fluentia plenissima. Tu esto exultatio nostra, qui es spes nostra, salus atque redemptio. Tu esto nostrum gaudium, qui es futurus præmium. Te semper quærat anima mea, & tu præsta ut quærendo non deficiat.

C A P V T I V.

De miseria anima, quæ Dominum nostrum Iesum Christum non amat, nec quærit.

1. **V**Æ miserae animæ, quæ Christum non quærit, nec amat, arida manet & misera. Perdit quod vivit, qui te Deum non diligit. Qui curat vivere non propter te, Domine, nihil est, & pro nihilo est. Qui tibi
vive-

vivere recusat, mortuus est. Qui tibi non sapit, desipit. Misericordissime, tibi me commendo, reddo, & concedo; per quem sum, vivo, & sapio: in te confido, spero, & totam spem meam pono, per quem resurgam, vivam, & requiescam. Te cupio, diligo, adoro: cum quo manebo, regnabo, & beatus ero. Anima quæ te non quarit, nec diligit, mundum diligit, peccatis servit, & vitiis subiecta est: nunquam quieta, nunquam secura est. Famuletur tibi semper mens mea, piissime. Suspiret tibi semper peregrinatio mea: ardeat in amore tui cor meum.

2. Requiescat in te, Deus meus, anima mea: contempletur te in mentis excessu: cantet laudes tuas in jubilatione: & hæc sit in hoc exilio meo consolatio mea. Confugiat mens mea sub umbra alarum tuarum, ab æstibus cogitationum sæculi hujus. Repaulet in te cor meum, cor mare magnum tumens fluctibus. O dives omnium bonarum dapum, supernæ satietatis opulentissimæ largitor, Deus; da lassio cibum, collige dispersum, libera captivum, & reintegra scissum. En stat ad ostium, & pulsat. Obsecro per viscera misericordiæ tuæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, jube pulsanti misero aperiri, ut liberis gressibus ingrediatur ad te, & requiescat in te. & reficiatur de te pane cœlesti. Tu enim es panis, & fons vitæ: tu lumen claritatis æternæ: tu omnia ex quibus vivunt recti, qui diligunt te.